



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae, 1584**

**VD16 B 7375**

10. De Abbate Cyriaco, qui à virgine Deipara reprehensus est, quod Nestorij libros, licet ignoranter, domi suæ seruaret.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

ex loco mutantem, versatum esse. Vbi, inquit, terra rupta coopertus atque oppressus, vitam hanc pro eo atque blasphemix eius conueniebat, amisit: Arrius alter vltimo vitæ suæ actu habitus &c. Nicephorus lib. 14. cap. 36. histor. Ecclesiast.

*Ioannes Moscus Euiratus in Prato spiritali, ca. 46. De Abbate Cyriaco, qui a virgine Deipara reprehensus est, quod Nestorij libros, licet ignoranter, domi suæ seruaret.*

## CAP. X.

**A**bbas Cyriacus, qui & Iauræ Calomonis presbyter eximius fuit, de seipso testatus est, quod aliquam mulierem honesta facie præditam, & purpuram indutam per somnium viderit, dominam nempe nostram Dei sanctam genitricem, duobus viris illam comitantibus, qui & ipsi venerabiles & præclari esse aspectus apparent; vtpotè Ioannes Baptista, & alter eiusdem nominis Euangelista. Abbas igitur de cellula egressus, orare Deiparam coepit, vt ad se ingredi dignaretur, ac sæpè hoc ab illa summoperè flagitauit, illa autem semper adnuente, atque hoc demùm respondente: Habes intra cellam tuam inimicum meum, & me illuc ingredi cupis? His dictis abcessit illa, & Abbatem valdè sollicitum anxiumque reliquit, vt qui nesciret, de quo inimico sermo hic haberetur, veritus etiam, ne quid occulti fortasse criminis ipse in Dei-

param commississet; cùm nullum alium in eadem cella commorantem haberet. Vnde in graui mœrore ac luctu versatus est, quem veneratione aliqua vel leniret, vel depelleret, codicem legendum sumpsit in manus, enm̄que à S. Isychio presbytero Hierosolymitano, mutuo acceperat. Cum euoluisset codicē, duos imperator Nestorij libros in fine vidit adiectos, ac statim discussa velut nube, lucem veritatis aspexit, nihil vt dubitaret amplius superiorum sermonem Dei inimico Deiparæ apud se latentem ad hunc ipsum authorem Nestoriorum pertinere. Abit igitur statim cū libro, eum bona fide restituit, ne talem Mariæ inimicum apud se diutius esse pateretur. Accipe, inquit, frater librum tuum, ex quo plus ego detrimisti, quàm vtilitatis percepi. Cùm verò remanentem exposuisset, herus codicis zelo sancti succensus, duos illos Nestorij libros ex ipso præcidit volumine, ac flammis vltimicibus tradidit, dicens: Non manebit in cella mea, Domina nostræ sanctæ Dei genitricis semper virginis Mariæ inimicus. Atque vtinam eodem zelo flagrarent omnes, qui hoc æuoli authores & libros similis farinæ incidunt simulque curarent, vt istiusmodi scripta omnia, quæ ad Christi sanctorumque ignominiam & bonorum offensionem faciunt, omnia exploderent ac abolerent.

*Ioannes Zonaras tom. 3. Annalium in Constantinon. Copron. & Eutropius lib. 21. rerum Romanar. in vita Copronymi, De Constantino Copronymo Cesare ob illatam Maria iniuriam horrende castigato.*

## CAP. XI.

**I**mperator Cōstantinus Copronymus, adeo in Mariam petulans atq; conuitiosus erat, vt illius honori publicè detraheret, eamq; tam imbecillem faceret, quę nulli mortalium posset opitulari. Quid autē illius morte funestius? quid acerbius & violentius? Cū iam Deo & hominibus esset inuisus, sub mortem carbunculi pedes eius inuaserant, & ardentissimis febribus vrebatur, quarum nullum à medicis remedium poterat excogitari, & elephantix morbus accedebat, & in extremam animi desperationem deuenit, vt hinc miserabiliter vociferaretur, se viuentem etiam propter Mariam Deiparam igni inextinguibili traditum, in eumq; coniectum esse. Tot morbi coeuntes, tam diei cruciatus velut Marię ministri blasphemum Cæsarem perdidit.

*Nicephorus Callistus lib. 18. cap. 33 histor. Ecclesiast. de vindicata diuinitus quorundam in virginem matrem blasphemia.*

## CAP. XII.

**C**VM Cæsar Mauritius imperaret, Gręci quidam siue Gentiles, vt fit, in caupona suauiter compotabant, & lepidi, scilicet,

G 4 cct,